

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.



Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31964370_0002

10

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE RHEUMATISMO ACUTO.

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS BROOKE,

HIBERNUS,

Societ. Regiae Physic. Edin. Socius,

NEC NON

Societatis Med. Dubl. Sodalis.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

Cujusvis est errare, nullius nisi insipientis in errore perseverare. CICERO.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIX.

Patri ſuo dilectiſſimo,

Viro reverendo,

GULIELMO BROOKE,

Qui,

Per totum ſuae vitae decurſum,

Omnia in ſeſe beneficia,

Quae a parente optimo et amantiſſimo

Sperari potuerint,

Conferenda curavit:

Item,

Viro excellentiſſimo

JACOBO HAMILTON, M. D. C. R. M. E. S.

Et Noſocomii Regii,

Quod Edinburgi eſt,

Medico primario,

Ob benevolentiam amicitiamque in ſeſe conſtanter,

Ex quo Britanniam attigerit,

Demonſtratas,

Quae ſibi ex memoria,

Nullo tempore nulloque in loco,

Excident;

Hanc Diſſertationem Inauguralem,

Ea, qua par eſt,

Obſervantia,

D. D. Cque.

A U C T O R.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

CUM mecum attentus confiderabam, quale foret confilium, quo juvenis differtationem inauguralem in vulgus edere cogeretur; mortales parum novi inde difcere poffe, cumque hoc tantum, ut legi hujus academiae vetuftae rite pareretur, facere, morbum fimplicem exequi, quam multum temporis operaeque in differtatione de aliquo argumento abftrufo exaranda, quae fpatio, quod medicinae in academia dicavero, haud dubie non fupereffet, po-

A nere,

nere, satius esse duxi. His igitur inductus rheumatismum acutum, qui attentionem medici, quod regiones sub Septentrionibus positas frequenter, et non raro quidem gravissime, infestat, aliqua ex parte mereri videatur, ut materiem hujusce opusculi selegi. Si notiones super hoc morbo perspicue distincteque tradere potuero, nihil amplius exoptabo, nec amplius quidem ab adolescentulo, qui, in spatium temporis exiguum tantum, operam medicinae navaverit, potuit sperari.

Rheumatismus est unus ex iis morbis, quorum mentionem in operibus medicorum antiquissimorum rarius injici reperimus. Vocabula *Fluxio* et *Defluxio*, quae in operibus Hippocratis et Galeni semet ostendunt, eundem fere morbum, me judice, significant. Historiae vero, quas tradiderunt, tam pressae sunt, tamque parum claritudinis habent, et praeterea adeo cum podagra et catarrho confunduntur, ut neminem in momentum possit latere, eos veram morbi naturam magna ex parte ignorasse; hanc ignorantiam tamen mirari brevi cessabimus, si, quali modo Graeci hisce seculis victitarint, nobiscum reputabimus. Luxuria mollitieque nondum diffluebant,

diffluebant, et ufus liquorum fpirituoforum, fi vinum excipias, illis ex toto fuit ignotus. Regio infuper, quam tenebant, feliciffima morbis inflammationem habentibus, quibus rheumatifmus plane annumerandum eft, minime fuit amica.

Via medendi, in quam procedebant, ut a priori facile poni poteft, a vera et efficace multum deflectebat, et ad vim morbi intendendam potius, quam ad gravitatem fignorum levandam, conferebat. Namque eum a materia pituitofa et frigida a capite ad juncturas delapfa pendere exiftimantes, ut ab ufu lanceolae ex toto abftineretur, fuaferunt. Botallus fuit primus, qui tali morbi theoriae talique ei medendi rationi adverfatus eft. Sanguinis detractionem utilem effe contendit, et ea morbum, nonnullis in exemplis, feliciffime depulit.

Ballonius, medicus Gallicus, qui, fub initium centuriae decimae fextae, floruit, multum obfcuritati, qua hic morbus in tot fecula fuerat involutus, luminis offudit, eum et accurate defcribendum, et difcrimina clara et diftincta eum inter et podagram inftituenda curavit. Viam medendi

medendi rationalem proponit, et ut ad detractiones ſanguinis reiteratas confugiatur ſuadet. Veſtigiis ejus hac in re inſtiterunt quidam ex optimis auctoribus practicis, ut Riverius et Sydenhamius; inſuper, vir poſterior immortalis multa utiliſſima de rheumatiſmi natura et curatione notavit memoriaeque prodidit, ob quae poſteri eum ſummis laudibus ornare nunquam ceſſabunt. Duo ejus genera eſſe clare vidit, et igitur in *acutum*, *chronicumque* diviſit, viae medendi diverſae, cui in utroque debeat inſiſti, mentionem injiciens.

DEFINITIO MORBI.

Cum optima, quam unquam mihi videri contigerit, in Synopſi Noſologica Culleni clariſſimi ſemet oſtendat, eam immutatam adhibere non dubitabo. "Morbus ab externa et plerumque "evidente cauſa, pyrexia, dolor circa articulos, "muſculorum tractum ſequens, genua et reli"quos majores potius, quam pedum vel manu-

"um

"um articulos infeſtans, calore externo auc-"
"tus."

HISTORIA MORBI.

Rheumatiſmus eſt morbus, qui Britannos multo frequentius, quam incolas regionum ad auſtrum magis vergentium, infeſtat. Hillarius clarus, in morbis inſulae Barbadoenſis depingendis, memoriae prodit, ſe hunc morbum, dum ibi manebat, vix unquam vidiſſe. Vere et autumno potiſſimum accedit, quod, per haſce anni tempeſtates, viciſſitudines coeli ſunt magnae et ſubitaneae. Eos praecipue, qui ſummo juventae vigore laetantur, a pubertate uſque ad annum aetatis trigeſimum quintum aut quadrageſimum etiam *, temperamento ſanguineo praeditos,

* Clarus Home in praelectionibus clinicis notat, ſe, quantum meminerit, nunquam vidiſſe aegrotum hoc morbo laborantem, qui annum aetatis decimum quintum nondum attigerat, aut quadrageſimum fuerat tranſgreſſus. Vir doctus vero morbum, quantum ad tempus attinet, limitibus nimis anguſtis circumſcripſiſſe videtur.

ditos, et foeminas ſaepius quam mares invadit. A ſignis pyrexiae communibus et ſolitis incipit. Senſus frigoris oritur, quem brevi excipit ſtadium, uti appellatur, calidum, ictibus arteriarum frequentibus pluriſque ſtipatum. Cum haec ſigna biduum triduumve manſerunt, dolores vagantes, acutos, lancinantes, in partibus corporis diverſis, potiſſimum vero in juncturis ſuperiorum inferiorumve extremorum amplioribus, ſentire incipit aegrotus. Dolores nonnunquam prius ſentiuntur, quam ulla ſigna febrilia ſemet oſtendunt ; hoc vero, uti judico, tantum accidit, cum morbus loco proprio membroque ſingulari circumſcribitur. Junctura in aliquantum temporis affecta, nonnihil tumoris et ruboris accedere conſuevit, quod tamen non ſemper dolorem levat. Morbus raro diu in uno artu fixus manet, ſed huc illuc vagatur, curſum muſculorum ſequens, donec forſitan univerſas corporis juncturas majores, alias poſt alias, tentavit. Quam partem relinquit, ea non ejus prorſus expers evadit. Aliquantum tumoris et doloris plerumque manet. Nec pars, quae modo laboravit, iterum corripi non periclitatur. Artus affectus ne minimum quidem motum nunc exercere poteſt, et tactus leviſſimus dolorem magnopere

nopere auget. Vefpere appetente, figna evidentiffime intenduntur, et dolores hoc tempore fitum mutare maxime periclitantur; quinetiam aegrotus calorem lecti, utpote qui dolores adaugeat, et ut noctem totam infomnis agat faciat, plerumque graviffime queritur. Quibufdam in cafibus, hic morbus ab initio ufque aliquanto fudationis ftipatur, quae tamen dolores raro levat, nec univerfa, nec copiofa, quantum ad artum laborantem attinet, is conftanter ex toto ficcus durufque manet.

Pyrexia ultra duas trefve feptimanas raro graviter urget, et deinde remittit; violentia quoque dolorum, qui locum nunc non tam facile mutant, multum diminuitur. Sub initium, urina colorata eft, fed nihil fedimenti deponit; finem verfus, aliquid pulveris laterum fimile praecipitatur, quod raro tamen morbum judicat; alvus femper dura eft, et fanguis detractus eandem fpeciem, quam in aliis morbis inflammationem habentibus, prae fefe fert. Ægrotus tuffi gravi plerumque vexatur, quae figna multum intendit.

DIAG-

DIAGNOSIS.

Res ſummi in medicina momenti eſt, morbum unumquemque ab omni alio clare et accurate ſecernere ; namque, ſi hoc neglectui habeatur, parumve diligenter attendatur, curationem nullius morbi ſuſcipere valebimus, principiis juſtis innixi.

Qui morbi, me judice, eum, quem in praeſentia exequor, ulla ex parte referre videntur, ii ſunt podagra, ſyphilis, et ſcorbutus. Si ſigna autem ſingulis horum propria attente conſiderabimus, diſcrimina vera, quae eos inter et rheumatiſmum intercedunt, ſine magna difficultate reperientur.

In parte hujuſce diſſertationis ſuperiore notavi, rheumatiſmum inflammationem habere, et mortales eo vitae tempore, quo functiones univerſae et animales et vitales ſummo vigore peraguntur, invadere. Originem ejus alicui cauſae

in

in ſyſtema agenti, exempli gratia, frigori ſaepe pro certo fere referre valemus, juncturas corporis majores invadit, et mirabilem ad migrandum ex alio in alium locum proclivitatem oſtendit. Mulieres ei * magis, quam viri, patent, et morbus ſemel depulſus nunquam, per totam vitae longae decurſum, forſitan repetet.

Podagra, contra, pro morbo profus nervoſo ab omnibus medicis, quotquot ſunt, habetur. Ante annum aetatis quadrageſimum raro ſemet oſtendit, et evidenter ab aliqua cauſa interna occulta, qualibet re forſitan ſtatum poteſtatum vitalium debilitatum faciente, proficiſcitur. Aliquos ex artubus minoribus, potiſſimum pedis pollicem, occupat. Dolor multo magis, quam in rheumatiſmo, acutus eſt, et ad ſedem mutandam minime proclivis, niſi ad pravam medendi viam fuerat decurſum; inſuper morbus eſt, qui a tabe haereditaria profluit, et,

 cum

* Vir clarus Dr Home, praxi ſua in noſocomio regio Edinenſi edoctus, notavit, foeminas, quae in rheumatiſmum incidunt, quantum ad numerum ſpectat, mares plus, quam 3. 1. excedere. Hoc negligentiae illarum, dum proveniunt menſtrua, quo tempore ſyſtemata muliebria cauſis excitantibus facillime afficiuntur, tribuendum putat.

cum semel invasit, frequenter, et etiam quibusdam statis temporibus, rediturum esse concludere licet. Ei opportuniores sunt viri, quam mulieres, obesi et robusti, temperamento cholerico-sanguineo praediti, quam ii, quibus natura ex toto sanguineum impendit. In vicem paroxysmorum podagrae frequenter substituuntur similes morbi quorundam e visceribus internis, quadam alternatione, modo hi, modo illi dominantur. In aliquot dies ante paroxysmum, ventriculus plurimum perturbatur. Torporem universum una cum sensu punctionis et stuporis artuum inferiorum, quae sensus frigoris pedum spasmique frequentes * comitantur, sentit aegrotus; nullae vero hujuscemodi alternationes, aut signa antecedentia, unquam in rheumatismo semet ostendunt; materia cretacea saepe in artubus podagra laborantibus; nunquam vero, quantum meminerim, in iis, qui rheumatismo infestantur, reperitur.

Haec sunt, me judice, signa manifestissima, quibus rheumatismus et podagra dignoscuntur; et, si ea attentione, quam merentur, considerabuntur, nullo in exemplo, quod semet ostende-

re

* Vide Cullen. Prim. Lim. vol. II. § 506.

re poteſt, in errorem incidere periclitabitur medicus.

Quantum ſcorbutum ſpectat, hunc a rheumatiſmo ſatis evidenter ſecernunt, ictus arteriarum debiles et exiles, gingivae putridae, crura tumefacta, maculae lividae, et profuſiones ſanguinis variae, quae ſcorbuto nunquam deſunt; et, contra, in rheumatiſmi nullo exemplo apparent.

Si dolores in centro longorum oſſium ſedeant, praeſertim ſi ſigna affectus loco proprii antecesserint, quin vitium ſit venereum, vix poteſt dubitari; denique in lue partes, ubi dolores ſedent, non tactui dolent, ut in rheumatiſmo incidit. Rheumatiſmus acutus et chronicus ſemet mutuo aliqua ex parte reddunt. Cum res ita ſeſe habeat, ſi hanc ſimilitudinem ſilentio praeterirem, praeſertim cum curatio hujus et illius magnopere differat, mihi, non ſine gravi quidem ratione, vitio verti poſſet. Cum chronicus plerumque acuti ſequela ſit, ubi unus incipit, aut alter finitur, compertu ſaepe difficile eſt; ſi omnia ſigna febrilia deceſſerunt, ſi tumor ruborque artuum ex toto ſubſederunt; dolor vero adhuc

gravis manet, ſed calore, utcunque applicetur, levatur, morbus haud dubie chronicus eſt. In hoc artus laborantes frigidi rigidique eſſe reperiuntur, et perſpiratio partis affectae libera vix ullo modo poteſt moveri. Si morbus lumbos occupat, Lumbago appellatur; et a Nephritide facile diſtinguitur, quod ſigna, quae in hac ſemet conſtanter oſtendunt, ſequentia ex toto deſunt, nauſea nempe, vomitio, femoris ſtupor, teſticulique retractio. Cum coxendicem tenet, nomen Sciatica ei indi ſolet. Non alienum erit notare, rheumatiſmum chronicum artus, quos maximus muſculorum numerus circumdat, infeſtare malle videri.

CAUSAE REMOTAE.

Has in eas, quae homines ad morbum proclives efficiunt, et in eas quae eundem excitant, dividam; de iis ſeparatim agam.

Quae proclivitatem ad morbum conſtituunt, eae ſunt, ut Gregorius jure celeberrimus inquit:

"Quae

"Quae corpus tantum morbo opportunum red-
"dunt; ſcilicet, ut, admota cauſa excitante, in
"morbum incidat *."

Diatheſin phlogiſticam tonumve ſyſtematis arterioſi adauctum mortales huic morbo opportunos efficere, multa ſatis evidenter manifeſteque demonſtrant. Supra comprehendi incolas regionum, quae ad Septentriones ſpectant, et eos, qui mediam aetatem attigerunt, rheumatiſmo maxime patere; nemo autem, uti ſpero, negabit, diatheſin phlogiſticam in hominibus hujuſcemodi clare evidenterque dominari, quinetiam compertum habetur, rationem victus pleniorem exercitationi parciori adjunctam, evacuationes, quibus corpus inſueverit, ſubito ceſſantes, ut perſpirationem, menſtrua, ſanguinis miſſionem, diarrhoeam, haemorrhoidem, aliamve haemorrhagiam, ſetacea, epiſpaſtica, et ſimilia, ad morbum excitandum, hanc diatheſin augendo, potenter conferre. Et, auctoritate Sydenhamii ſagacis confiſi, medicamenta tonica diu adhibita morbum moviſſe, aſſerere non dubitamus.

Inſuper,

* Vide Conſpect. Med. Theor. § 39.

Inſuper, quidam in animum ſibi induxerunt, ſtatum debilitatis evacuationibus immodicis ſimilibuſque factum mortales ad morbum pronos efficere. Quo modo vero duae corporis conditiones ſibi invicem adeo contrariae morbum eundem progignere poſſint, intelligere nequeo; imo notio, quantum judicare poſſum, rationi adverſari videtur. Animus mihi non parum inclinat, ut credam, medicos ſemet hac in re decipi paſſos fuiſſe, quod, quam ſubito ſyſtema detrimenta, quae ab evacuationibus hujuſcemodi ceperit, repenſet, quamque brevi poſt eas nimis plenum evadere periclitetur, ut clare demonſtravit Cullenus illuſtris *, non attenti conſiderarunt. Modo poſitis hoc adjungere poſſum, quod in exemplis bene multis, quae mihi in noſocomio regio Edinenſi videre contigerit, aegrotus unuſquiſque ſigna habitus corporis phlogiſtici manifeſta edebat. Ne leviſſima quidem, ullo in caſu, fuit ratio, cur morbum a debilitate, quae antea extiterit, proficiſci exiſtimarem.

Proximum eſt, ut de cauſis excitantibus dicam, quarum complures forſitan eſſe poſſunt, quae attentionem medicorum adhuc fugerunt;

praecipuam

* Vide Firſt Lines of the Practice of Medicine.

praecipuam vero et longe creberrimam frigus quolibet modo corpori applicatum esse credo. Quo effectus suos edere valent, ut infra gradum thermometri Fahrenheiteani sexagesimum secundum descendat necesse est. Actio ejus multo potentior evadet, si humiditate stipabitur, et in tempus diuturnum corpori ante calefacto admovebitur. Non opus est, ut corpus universum frigori objiciatur; sufficit ut ad quamlibet partem ejus singularem adspirare permittatur. Hinc plurimos rheumatismum, quo conflictantur, vestimentis uvidis tribuere saepe reperimus. Namque ita gradus frigoris intensus per evaporationem, quae incidat necesse est, progeneratur.

CAUSA PROXIMA.

Nulla, uti credo, artis Hippocraticae pars est, quae majore obscuritate, quam causae morborum proximae, est implicita. De his medici, qui diversis seculis floruerunt, longe diversa memoriae prodiderunt. Alii alia de causa rheumatismi proxima senserunt. Professor quidem,

qui

qui ſummam claritudinem ſibi comparaverat, lentorem humorum pro ea habuit ; et nemo medicorum fere opinioni ejus fidem derogare auſus eſt ; ſaltem in multos annos, tanta fuit ejus auctoritas, et tanta fuit fama, quam ſibi fuerat adeptus. Acrimonia quoque ſuos patronos habuit. Utraque doctrina fundamento ex aequo inſtabili innititur. Has vero pauciſſimis etiam percurrere omnino ſupervacaneum eſſe duco, propterea quod Cullenus ſagaciſſimus eas in ſuis Primis Lineis clare manifeſteque refellit et convulſit. Cauſa autem proxima, hoc auctore ingenioſo judice, eſt conſtrictio vaſorum extremorum ſpaſmodica, cauſa excitante corpori applicata facta. Quinetiam frigus corpori admotum tonum vaſorum partis laborantis intendit, impetum ſanguinis in iis acceleratum movens. Inſuper, hinc tranſitui ejus libero non parum obſiſtitur. Conſilio vero haec omnia ſigna tollendi, vires naturae medicatrices potenter agere incipientes, ſtadium frigidum, ſpaſmumque, ut modo ſignificavimus, edunt, unde brevi pyrexia in ſyſtemate proficiſcitur univerſa. Praeterea vir eruditiſſimus fibras muſculares, hoc in morbo, praeter conſuetudinem rigidas eſſe ponit ; unde poſtea multa ſignorum exponere conabor.

RATIO SIGNORUM.

Rubor, calor, tumorque a quantitate ſanguinis in vaſis partis laborantis adaucta proficiſcuntur. Et cum tranſitui ſanguinis libero reſiſtatur, facile concipi poteſt, tenuiores ejuſdem partes in telam celluloſam effundi poſſe; quod tumorem magnopere intendat oportet. Dolorem quoque eidem cauſae tribuere poſſumus. Namque, quin vaſa ſanguifera exilia nervis numeroſis ſint inſtructa ambigi nequit. Diſtenſio autem quam ſubeunt cuique, ob ſtatum fibrarum muſcularium rigidum ſupra comprehenſum, aegre cedunt, ut ſenſilitas iis propria multum augeatur, haud dubie faciet. Inſuper, auctor ingenioſus, Dr M'Bride, notavit, dolores acutiſſimos in inflammatione ligamentorum partiumque membranis inſtructarum hinc proficiſci, quod vaſa partium hujuſcemodi modo rectilineo procurrunt, quod in cauſa, cur ſtimulo diſtenſionis nimiae magis afficiantur, non eſſe non poteſt. Si fibras muſculares praeter naturam ri-

gidas esse concedamus, facillime, cur dolores, dum ab aliis ad alias juncturas migrant, cursum musculorum accuratissime subsequantur, explicare valebimus. Hic, cur artus minores nunquam infestentur, quaeri potest. Quantum ad hoc attinet, Cullenus eruditissimus in praelectionibus suis ponit, ligamenta carpis talisque circumdata aliquantum, in modum impedimentorum musici instrumenti chordis instructi, agere, et ita, ne oscillationes doloris ulterius proferantur, cavere.

PROGNOSIS.

Quanquam rheumatismus unus ex iis morbis est, qui plus doloris, quam periculi, habent; prognosis tamen in faustam et infaustam jure dividi posse existimo. Si nondum multum aetatis aegroto accesserit, si bono corporis habitu praeditus sit, et nec huic, nec alii morbo, pateat; si signa febrilia non concitatiora sint, et dolor non gravissime urgeat; si somnus arctus reficiensque, sudore universo copioso stipatus,

obrepat,

obrepat, qui manet aliquamdiu, ictuſque arteriarum molliores minuſque frequentes efficit, exitum morbi fauſtum fore pro certo concludere licet. Spem hujus eventus exoptandi magis magiſque firmabunt ſequentia, urina limpida, ſedimentum albidum deponens, et quantitate praeter conſuetudinem magna profuſa; lingua pura evadens, et appetentia cibi rediens. Nec exempla deſunt, ubi diarrhoea ſponte accedens, ſanguis ex aliqua parte profuſus, eruptiones cutaneae, vel ulcera in partibus, quibus epiſpaſtica fuerant admota, orta morbum judicarunt, et ex toto depulerunt.

Contra, cum in hominem, aetate bene provectum, invadit, cui vires gravitate ejus et ſpatio convulſae ſint, quemque forſitan non raro infeſtaverit; cum temere fuit curatus, et dolores in una junctura fixi manent, prognoſin dubiam, et nulla ex parte fauſtam, eſſe oportet. Namque ſummo cum dolore ſaepe reperimus, morbum ita ſeſe habentem, licet in optimas, quae notae ſint, medendi vias procedatur, in rheumatiſmum chronicum pertinacem, paralyſin inſanabilem, rigiditatem vel forſitan juncturae laborantis anchyloſin, deſinere.

Morbus,

Morbus, quem exequor, resolutione plerumque finitur. Exempla, ubi in schirrum aut gangraenam desiit, raro, uti credo, vel nulla sunt. Et, quanquam reliquas phlegmasias magnopere reddit, ad suppurationem tamen raro progreditur; quod huic referendum puto, quod morbus ligamenta, quae ad suppurationem minime prona sunt, potissimum tenet. Ad suppurationem vero nihilominus aliquando pervenire, exempla non pauca, quae in monumentis medicinae sunt reperiunda, abunde testantur. Vir clarus Stork Viennensis, ut ex opere ejus, quod *Annus Medicus* inscribitur, judicare licet, multos hujuscemodi casus offendisse videtur. Tumores iis proprii discuti nequiverunt, aperti multum puris effuderunt, et vulnera curationem difficillime receperunt. "Longo tempore," inquit, "diversa remedia externa tentavit dominus Haffner; optatam tamen metam nunquam potuit attingere." Multi posuerunt, rheumatismum, a junctura laborante ad cerebrum vel alia viscera migrando, mortem frequenter inferre. Hanc opinionem vero jam repudiavi. Quandocunque dolores ventriculum aliasve partes internas occupant, eos non a rheumatismo, sed ab arthritide, proficisci opinor. Vir clarus

clarus supra positus, Stork Viennensis, memoriae prodit, omnes, qui phthisi vera et rheumatismo laboraverunt, fato concessisse; sed, ut mortem eorum illi potius, quam huic morbo, tribuens, animus mihi non parum inclinat.

RATIO MEDENDI.

Praecipuum autem huic morbo medendi consilium est diathesin phlogisticam tollere. Nihil, quod in hanc potest, neglectui habendum. Fiducia vero in sanguinis detractione potissimum collocanda. Ad hanc, sub initium rheumatismi, constanter decurratur, et, cum nullus morbus hanc evacuationem tam facile ferat, minime parcus sit. Non opinari non possum, copiosam sanguinis detractionem, morbo incipiente, ad quatuordecim sedecimve uncias usque forsitan, dummodo vires aegrotantis hanc possint tolerare, multo plus ad dolores levandos, quam viginti pluresve uncias diversis temporibus emissas, esse collaturam. Quo vasa sanguifera relaxationem repentinam subeant, sanguis rivo quam

quam pleniſſimo effluat neceſſe eſt. Cum una ſanguinis detractio, quanquam liberalis fuerit, ad ſigna levanda ſaepe non ſufficiat, ſi proximo die dolores aeque fere urgere, pulſus arteriarum validos, plenos, et frequentes eſſe reperiamus, ad alteram ſanguinis detractionem confugiatur. Sydenhamius illuſtriſſimus, ut hanc in tertium diem differamus, et intercedente medicamentum purgans adhibeamus, monet. Nullam vero rationem novi, cur tamdiu debeat proferre, praeſertim cum omnis medici prudentis et honeſti ſit, finem morbi quam citiſſime facere. Nonnulli tertiam ſanguinis miſſionem praecipiunt, et neceſſariam eſſe contendunt. Magnopere vero cavendum eſt, ne vires ſyſtemati nimis convellamus, quod haud dubie ut aeger tarde reſtituatur, et forſitan ut morbus in chronicum, finem qui parum famae medico afferet, convertatur, faciet. Multum fructus hoc in morbo et detractionibus ſanguinis topicis percipiendum. Alteram miſſionem generalem frequenter, primum vero nunquam, ſi morbus univerſum corpus teneat, parum neceſſariam efficiunt. Si, contra, dolor tumorque in junctura ſingulari reſideant, quaecunque commoda a ſanguinis detractione profluere ſolent, ea omnia ab hirudinibus numeroſis ei circumdatis ſperanda.

Cucur-

Cucurbitulae cruentae, uti appellantur, cum parti rite possunt admoveri, eidem omnino, cui hirudines, consilio respondent. Vomitionem, sub initium, ciere necessariam esse plerumque reperietur; quoniam ventriculum sordibus liberabit, corpus ad perspirationem magis proclive efficiet, et tussim, quae multum molestiae saepe facessit, levabit.

Purgatio alvi, utpote quae systema potenter depleat, primo intuitu quam maxime convenire videtur. Si vero rem penitissime inspicias, non percipere non poteris, molestiam auctumque doloris, quibus stipetur necesse est, multo plus quam ulla commoda, quae inde possint oriri, aequare. Eodem tempore vero omnino erit necessarium alvum, quo nihil irritationis a faecibus in recto duratis proficiscatur, modice solutam tenere. Hoc facile praestabunt enemata emollientia in alvum immissa. Si haec vero admodum fuerit adstricta, ad aliquos e salibus mediis refrigerantibus confugiatur, vel ad similia saltem.

Postquam plus minusve sanguinis, pro natura morbi, fuit detractum, curationem medicamen-

tis,

tis, quae ſudorem movent, perficere conandum eſt, quae prudenter adhibita conſilio efficaciſſime reſpondebunt. In ſanguinis detractione haud dubie eo uſque, ut morbus ex toto tollatur, perſtare poteſt. In omni exemplo vero pro certo ſperandum eſt, ſequelas, quas ſupra recenſuerimus, eſſe ſubſecuturas, quibus ſudatio omnino caret.

In hac parte curationis igitur, conſilium medendi eſt ſudorem univerſum et copioſum elicere; quod multis modis fieri poteſt. Eundem, vel medicamenta calefacientia et ſtimulantia dando, vel corpus nimio ſtragulorum pondere onerando, nunquam extorquere conandum eſt; namque in hanc medendi viam procedendo multum intendetur febris. Caeterum conſilio optime reſpondebunt ea medicamenta, quae curſum humorum ad ſuperficiem certo et efficaciter faciunt. Optimum, quodque hodie in uſu maxime vulgare eſt, eſt compoſitum quod pulvis Doverianus appellatur. Antequam ſumitur, aeger in ſtragulis laneis collocetur, induſiumque laneum induat, quo ſudor, cum profluere incipit, non frigore, quo lintea humida corpus impertiuntur, reprimatur. Incipere poſſimus a

quin-

quindecim pulveris granis, ad viginti quinque uſque, ex intervallo horarum duarum aut circiter, donec ſudor liberalis erumpat, repetendis. Sudorem continuabunt et promovebunt liquores quilibet tenues tepidique copioſe dati ; ut aqua hordeata, ſerum lactis ſucco limoniorum vel cremore tartari paratum, vel vinum aliquod albidum, non valens, cujus multo plus, quam reliquorum, bibere poteſt aegrotus. Si ſudorem diminui reperiamus, viginti aut triginta guttae vini antimonii vel ipecacuanhae, quibus totidem tincturae thebaicae ſunt adjunctae, ſub forma hauſtus ſumendae. Hoc modo ſudor in viginti quatuor, vel quadraginta octo, ſi opus ſit, horas conſervari poteſt. Quantum vero hoc ſpectat, levatione, quam doloribus comparaverit, et viribus aegroti, ex toto regi debemus. Cum pedes penitus ſicci manent, veſicas aqua calida ſemirepletas, arenam calefactam in ſaccos incluſam, vel lateres calefactos, iis circumdare conveniet ; quod ut vaſa relaxentur, et ſudor ibi, ut in aliis corporis partibus, erumpat faciet. Vix operae pretium eſſe videtur notare, ſudorem, ſi frigidus, tenax, locoque proprius ſit, et non brevi dolores levat, nihil prodeſſe conſueviſſe. Igitur, cùm nihil boni inde ſperandum

ſit, eum levandi conatis protinus deſiſtere debemus. Medici ut pulverem mane dare incipiamus ſuadent, quoniam omnes ſecretiones multo majore vigore die, quam noctu, dum dormitur, peraguntur.

Nitrum medicamentum ad ſudorem movendum excellenter accommodatum eſſe dicitur. Id in curatione hujuſce morbi multis laudibus effert vir clarus Dr Brocklerſby; et eum ad decem drachmas ex aqua ſolutas, ſingulis diebus, dabat, et in uſu ejus aliquandiu perſtabat, ſe morbum ſaepe depuliſſe affirmat. Medicamentum vero tam ingratum eſt, ut pauciſſimis, me judice, eo ſatis liberaliter uti poſſet perſuaderi.

Materia medica multa alia potentia medicamenta ſudorifica comprehendit, qualia ſunt ſal, quod ſpiritus Mindereri vocatur, calx antimonii nitrata, pulvis Jacobi, &c. Cum vero nulla eorum effectus aeque certos, ac pulvis Doverianus ſupra poſitus, edere ſoleant, ea ſilentio praeterire decrevi. Sub initium morbi opiata haud dubie aliena ſunt. Cum vero evacuationes idoneae factae ſunt, et febris minus concitata evaſit, dolores levandi, et ſomnum aegroto, qui, ſine

ſine ulla dubitatione, ei admodum neceſſarius eſt, quaerendi conſilio ad ea confugi poteſt. Iis adjungi debent viginti pluresve vini ipecacuanhae guttae, quae uſum eorum tutiorem efficient, et ad diaphoreſin lenem, quae plurimum proderit, conſervandam multum conferent.

De uſu mercurii in acuto rheumatiſmo depellendo, apud medicos nondum ex toto convenit. Clarus Muſgravius teſtatur, ſe morbum eo adeo, ut ſputum moveret, dato ſaepe ſanaſſe. Celebris vero Dr D. Monro eum nunquam, niſi ſyſtemate lue venerea infecto, proficere compertus eſt. Vir expertus Dr Robertus Hamilton, qui Lini Regis medicinam facit, diſſertationem in volumine nono Medicorum Commentariorum Edinenſium in vulgus edidit, ubi uſum mercurii opiique in omnibus morbis inflammationem habentibus, et praeſertim in acuto rheumatiſmo, ſummis laudibus ornat. Qua ratione morbo medendi uſus eſt, eam ſuis verbis depingendam curabo.

" Blood was directed to be taken away in the " beginning of the diſeaſe, in quantity propor- " tioned to the violence of the inflammatory

" ſymp-

" ſymptoms, and the age and conſtitution of the " patient. The bowels were next ordered to " be emptied by a glyſter, or, more commonly, " by an eccoprotic purgative. After which a " compoſition, conſiſting of from five to one " grain of calomel, and from one to one-fourth " of a grain of opium (with any conſerve in a " bolus) in proportion to the ſtrength and age " of the patient, was adminiſtered every ſix, " eight, or twelve hours, as the degree of in- " flammation, or the threatening aſpect of the " diſtemper, ſeemed to require. And a plenti- " ful dilution with barley-water, or any other " weak tepid beverage, was, at the ſame time, " ſtrictly enjoined. After taking three or four " doſes of this medicine, in the courſe of 24 " hours, the patient was generally greatly re- " lieved; and, in 24 more, the diſtemper com- " monly gave way, and ſoon terminated. But " if the patient was not relieved in the firſt 24 " hours, and the inflammatory ſymptoms con- " tinued, with little abatement, (which was " rarely the caſe) more blood was taken away, " and the mercurial compoſition was directed " to be more frequently given and continued, " until the diſtemper reſolved either by ſweat-

" ing,

"ing, purging, or more commonly both, or by "a ptyalifm being raifed."

Cum cutis contracta et arida febrim comitabatur, aliquantum tartari emitici camphoraeve bolo plerumque adjecit. Ne aliquis vero curationem hifce medicamentis potius, quam mercurio, tribuerat; haec per fe frequenter dedit, et morbum cedere nunquam compertus eft, donec iis calomelas adjunxit. Quinetiam notavit, hanc medendi viam, nifi in eam, morbo nondum longe provecto, praecederetur, votis non tam certo refpondere.

Cum actionem mercurii ftimulare neminem lateat, curationem hujufce morbi ei ulla ex parte referre primo intuitu nollemus. Si vero res verae, de quibus nequit dubitari, quaeque, ut Doctor ait, non ab experientia paucorum menfium pendent, fed fundamento praxeos octodecim fere annorum felicis folido innituntur, theoriae adverfantur, pofterior prioribus apud unumquemque candidum cedat neceffe eft. Quantum ad memetipfum attinet, nihil de praxi pro certo afferere audeo, quoniam ejus periculum nunquam fieri vidi. Rectum vero juftumque

que esse sentio, ut candide accurateque tentetur, quo vel merito suo stet ejusdemve defectu repudietur.

Corticis Peruviani in curatione hujusce morbi mentio facta fuit ; sed ad eum nunquam debet decurri, donec urina sedimentum lateritium deponat, cum notae inflammationis magna ex parte sublatae esse dicuntur. Si paroxysmi doloris regulares urgeant, rebus ita se habentibus, cortex haud dubie proderit.

Applicationes externae multum concelebratae fuerunt. Cum vero omnes dotes earum, si sub initium adhibeantur, nocivas esse compertum habeant, iis hodierni caute abstinent. Contra, morbo inclinato, multum auxilii promittunt, et signa loco propria, quae plerumque in brevius longiusve temporis spatium, malo superato, manent, tollendo revera plurimum prosunt. Epispastica reliquis potentiora sunt, et dolores fixos abigendi causa, cum summo commodo, saepe applicantur. Omnia linimenta eidem consilio aliqua ex parte quoque respondent. Et frictio, quae in his applicandis adhibetur, ad dolorem vel rigiditatem, quae juncturas etiamnum occupare

pare poteſt, tollendam multum facit. Si dolor pertinax ſuperſit, fonticulus, uti Monroius illuſtris docet, prope partem laborantem apertus eum diſcedere coget. Camphora dolorem plurimum levat ; ſed Cullenus affirmat eam, ut migret locumque mutet, facere.

Summa cura et attentio per totum morbi decurſum ſunt adhibendae. Ægroto omni cibo animali talique, qualis concoctu difficilis eſt, ex toto interdicatur. Inſuper omnibus liquoribus valentioribus et fermentatis abſtineat, cibus e ſubſtantiis vegetabilibus et farinaceis conſtet. Potus ſucco limoniorum, cremore tartari, vel ſimilibus, modice acidus reddatur. Jam firme ſibi perſuaſum habuit Sydenhamius, ſummum fructum a diaeta idonea ſtricte adhibita percipi poſſe, ut morbum ſine medicamentis depellere propoſuerit, et revera depulerit. Ratio, cui inſtiterit, fuit aegrotis curae ſuae demandatis ſerum lactis ſolum, in complures dies, praecipere, et, febri hoc modo multum diminuta, exiguam panis quantitatem illis concedere. Haec medendi via votis, ſine dubio, reſponderet, ſi aegrotis, ut ea uterentur, poſſet ſuaderi. Omnis

frictio

frictio artus tumefacti vitetur, et hoc conſilio machina ad ſtragula ſuſtinenda accommodata excogitetur. Pars denique laborans panno laneo molliſſimo circumdetur.

FINIS.

CORRIGENDA.

Pag. 2. *l.*	10.	potuit *lege* poterit
6.	14.	juncturae
9.	19.	labe
12.	6.	occupet
14.	18.	corporis *lege* corporei
15.	3.	valent *lege* valeat
21.	4.	tribuem *lege* tribuam
22.	11.	proferri
22.	20.	et *lege* a
29.	7.	tribueret
31.	14.	jam *lege* tam